

illuſtandum, cūm enim Petrarca narrat ſcriptum extiſſe circa torquem auream, quam collo geſtabat cerua hoc ſenſu, quòd nemo eam tangeret, quia libera à Cefare facta fuiſſet, Cæſarisque eſſet cerua, aluſiſſe Franciſcum Petrarcam ad hiftoriam antiquiſſimam æneæ torquis apud Paucecios è collo cerui extractæ, in qua inſcriptæ erant literæ, D I O M E D E S. D I A N A E. huius rei meminit Nicolaus Leonicus Thomæus philoſophus clariſſimus ac doctiſſimus in libro primo variæ hiftoriæ cap. xcij. Illud etiam non ingratum fuerit addidiſſe, quòd veriſimilius numiſmati accedit, in quo canem fuiſſe fictum exiſtimamus & pro certo habemus, propterea quòd mos, conſuetudoque non rara fuerit Cæſarum & imperatorum ad populi beneuolentiam & fauorem conciliandum venationes edere, vt ex hiftoriarum lectione patet, tum Iulij Capitolini tum Aelij Spartiani, & ex Iuſtiniani Cæſaris collat. 4. in aure. de conſul. M. quidem Cicero in ea epiſtola M. Mario ſcripta lib. 7. familiarium, in qua deſcribit quofdam ludos Romæ habitos, binas venationes narrat per quinque dies Romæ factos in admirationem vulgi & turbæ, vbi etiam hæc verba ſubiicit, Quæ poteſt eſſe homini politico delectatio? cūm aut homo imbecillus à valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo tranſuerberatur? extrema dies uenationis fuit elephantorum, in qua nulla delectatio extitit cūm etiam miſericordia quædam conſecuta eſt, atque opinio huiusmodi quandam illi belluæ cum genere humano eſſe ſocietatem. Hactenus Cicero, apud Caſſiodorum libro v. variarum venationis genus & forma ferarum cum hominibus deſcribitur, cuius verba l. i. adſcriberem in prolixitatem vitare ſtuderem, Sed ſtudioſus vnusquique per ſe locum facillimè reperiet. Illud potius dicamus hoc loco, in nummo noſtro currentem canem celeritatem ſignificare, ex iaculis, quæ ſunt infernè ſita. vnde rem properanter conſectam, victoriàmque cito partã (iuxta augurum præcepta) indicari conijcimus, quòd ſi cauda exporrecta, & ſurrecta foret, dum ſequeretur prædam, aut ſic temere laſciuiret, vt ſurſum verſus incuruatam haberet, portentum futuræ victoriæ deſignaret ex Aruſpicina. Illud etiam ſciendum prætorum, & Aedilium olim munus fuiſſe, vt ſicut & ludorum ſcenicorum ita & venationum curam haberent. Quod & Cælius apud Ciceronem lib. viij. familiarium epiſtolarum innuere videtur, dum ſe greges pantherarum non habere ſcribit. in libro Græcorum epigrammatum primo, quæ his diebus mihi priuatim domi interpretabatur Bartholomæus Moyranus in literis Græcis abũde verſatus, necnò philoſophicis præceptis ornatus, hoc carmen ſanè elegans in prima pagella λέοντ. & φιλοſόφω, ſe offert, cui inſcriptio eſt, εἰς τὸ μονημέριον. id eſt, in feſtum, ſeu ſpectaculum vnus diei, id enim vox Græca ſignificare videtur. epigramma autem huiusmodi eſt.

Τοξότα πιθόων μεδίωρ, ἐκατὴν βόλε φοῖβε,
 εἰπὲ κασιγνήτην κρᾶτερὸν ἵνα θήρας ἐγφρη,
 Ὁ ἀζορ ἐπιψᾶσαι μερόπων δέμας, ὄχρον αὔσαι